



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani**

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad  
præsens emanatis

Complectens III. & IV. Partem Commentariorum Gavanti in Rubricas  
Missalis

**Merati, Gaetano Maria**

**Augustæ Vindellicorum, 1740**

**VD18 10783695-002**

De Rubricis præceptivis, & directivis. XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39964**

## Novæ Observationes, &amp; Additiones ad Gavanti

## Tit. XI. De Rubricis præceptivis &amp; directivis.

I. Gavant. pag. 166. col. 2. §. *Reliquum est &c.* Omissa item distinctione in præceptivas sub mortali, & præceptivas sub veniali, &c.) Non solum reperitur Auctor, qui distinguit Rubricas, in præceptivas sub mortali, & præceptivas sub veniali, sed etiam legitur sententia Fagundez, in *præcepta Ecclesie, præcept. 1. lib. 3. cap. 1. part. 21. num. 7.*, qui sustinet, Rubricas Missalis communiter non obligare sub peccato mortali, immò addit *num. 9.* Rubricas Missalis non præcipere, sed consulere, & instruere; quibus verbis, ut notat Quarti in *quest. proamial. sect. 2. punct. 1.* jam excludit etiam peccatum veniale in transgressionibus Rubricarum, quia consilia nullam obligationem inducunt.

Sed hæc sententia, ut optime ostendit idem Quarti, est procul dubio falsa, & plusquam falsa, & contra communem DD. sententiam. Victorianus verò Premoli in *memor. Cler. 3. part. cap. 9.* asserit, prædictam opinionem Fagundez se refutasse, ut damnatam; ex Bulla enim Pii V. initio Missalis apposita, & ex Concilio Tridentino *sess. 7. Can. 13. & sess. 22.* aperte constat, adesse præceptum, & non merè consilium servandi Rubricas, & Sacros Ritus ab Ecclesia præscriptos; hæc secunda sententia ex Diametro opposita docet, omnes Rubricas habere vim obligandi sub peccato mortali ex genere suo; sed ratione parvitas materiæ posse transgressionem talium Rubricarum esse tantum peccatum veniale. Ita Suarez *tom. 3. in 3. partem disp. 83. sect. 3.* Molfesius *tratt. 1. cap. 7. num. 22.* Averla *de Sacrif. quest. 11. sect. 12.* Cochin, Puteobonellus *de Sacrif. Miss. quest. 5. art. 9. num. 8. pag. 419. edit. Mediolan. 1710.* eisdem Congregationis cum Gavanto, Lezana, Bonacina, & alii, quorum sententia, ait Quarti, se rectè intelligatur de Ritibus ad-

hibendis in ipsa Missæ recitatione, est absolute vera.

Tertia sententia media, distinguit cum Gavanto hoc loco Rubricas, in præceptivas, & directivas, docetque, Rubricas præceptivas obligare sub peccato mortali ad servandos Ritus in eis præscriptos. Rubricas vero directivas nullam imponere obligationem, sed esse consilia, & instructiones. Ita Gavantus, Marchinus *de Sacram. Ordinis tract. 3. part. 3. cap. 6.* Tamburinus in *Opus. de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 5. §. 1.* Premolus *de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 1.* Auctores, qui adherent huic sententiæ, censent præceptum contentum in Bulla Pii V. servandi Rubricas, non extendi indifferenter ad omnia, quæ in Rubricis continentur, cum plura sint minutissima, nec materia apta præcepti. Hinc Card. de Lugo *Disput. 20. de Euch. sect. 2. n. 7.* ait, certum est, non omnia, quæ in Rubricis Missalis exiguntur, asserre obligationem generalem: & *sect. 4. n. 105.* docet cum aliis, nonnulla esse materiam instructionis, & directionis, non verò præcepti, quapropter communiter Rubricæ sunt præceptivæ, sed multæ etiam sunt directivæ.

Noster tamen Quarti supra in *questionibus proamialibus sect. 2. punct. 2.* sustinet, omnes Rubricas, seu Regulas Missalis præscribentes Ritus servandos à Sacerdote in ipso actu Celebrationis Missæ, esse præceptivas; & in materia gravi obligare sub mortali, aliumque ratione parvitas materiæ, vel inadvertentiæ, earum transgressionem, esse culpam venialem, & hanc astruit esse mentem DD. qui secundam ex allatis sententiis tuentur, & præter Auctores ibi allegatos, addit etiam Henrich *lib. 9. cap. 26. num. 3.* Nugnum *3. part. quest. 83. art. 4. dub. 2.* Reginaldum *lib. 33. num. 210.* Peyrinum in *ser-*

sententiam ex eo, quod præceptum contentum in Bulla Pii V. expressè loquitur de Ritibus servandis in ipso actu legendi, vel decantandi Missam, absque ulla exceptione; ergo extenditur ad omnia verba, & actiones, ex quibus Missa componitur; unde sequitur, Sacerdotem sub peccato mortali ex genere suo nihil omittere posse eorum, quæ recitanda præscribuntur in Missa; ita ut cujuslibet partis omisso sit peccatum, vel mortale, si materia gravis sit, & notabilis, vel veniale, si materia sit levis, & modica; & ita etiam docet noster Diana *part. 5. trad. 5. resol. 63.* ubi alios citat Auctores, quos ipse sequitur. Nihil pariter est addendum precibus, quæ in Missali præscribuntur, quia etiam id expressè cavetur præcepto Pii V. in Bulla sæpius citata. Idem omnino dicendum est de Ritibus, & Ceremoniis, quæ in actione consistunt, nempe teneri Sacerdotes sub peccato mortali ex genere suo, nihil eorum omittere, & nihil eis addere ob eandem rationem. Monet autem cit. Quarti, non esse hanc obligationem accipiendam in rigore Metaphysico, eum simus in moralibus, sed morali, & humano modo, ita ut satis sit, eam diligentiam adhibere, quam timorati Sacerdotes, & sui muneris studiosi adhibere solent.

Idem Quarti tenet, Rubricas continentes ea, quæ recitari, vel fieri debent à Sacerdote, ante Missæ celebrationem, vel immediate post Missam, esse non præceptivas, sed directivas secundum se, & sub consilio: quare nisi aliunde constet de præcepto, tales Rubricæ non imponunt obligationem, in quo sensu fatetur, se adherere tertie sententia supra relata. Docet præterea, regulas Missalis de Ritibus servandis, non ab ipso Sacerdote, sed à Ministris, & ab aliis circumstantibus, & Choro assistentibus, communiter esse directivas, quia præceptum sæpius replicatum Pii V. ad illas minimè extenditur, unde non obligant ad culpam, nisi

aliunde, vel ex consuetudine, vel ex vi juris naturalis vitandi scandali, ea obligatio nascatur. Turrinus tamen *part. 1. sect. 1. cap. 1.* refragatur prædictæ Quarti sententia, quoad hanc ultimam partem, & contendit, prædictum præceptum Pii V. æquè obligare Sacerdotem, & Sacros Ministros, cum & ille, & isti requirantur ad celebrandam Missam juxta præscriptum prædicti S. Pii V. & aliorum Pontificum, qui Sacras Rubricas condiderunt, & approbarunt.

II. Gavanti, pag. 167. col. 1. n. 1. *Quando in Rubricis habetur hæc vox, gravissime, &c.* Querit Gavantus, quanam ex Rubricis sint præceptivæ, & quanam directivæ tantum, & statuit, tunc Rubricas censendas esse præceptivas, quando habetur hæc vox, *gravissime, seu graviter peccare eum*, qui tales regulas transgreditur; sic etiam n. 2. docet, Rubricas esse præceptivas, quando earundem materia pertinet ad integritatem Sacramenti, seu Sacrificii. Quarti tamen *suprà sect. 2. §. Prima regula*, adstruit, hanc Gavanti regulam esse valde diminutam, ex eo quod Rubricæ, quibus præscribuntur ea, quæ legenda sunt in Missa, ex. gr. Epistola, Evangelium, aliæ Orationes, & partes notabiles Canonis, non exprimunt, omittentem peccare mortaliter, nec spectant ad integritatem Sacrificii; & similiter Ritus, qui in actione consistunt, ut oblatio Hostia, & Calicis post Offertorium; & tamen revocari non potest in dubium, tales Ritus, alios quidem in verbis, alios vero in actione consistentes, esse præceptivos, & eorundem transgressores peccare mortaliter; hinc infert, prædictam regulam à Gavanto traditam, esse insufficientem, quam ipsemet Gavantus videtur destruere *num. 14. in fine pag. 169.* ubi docet indefinitè, Rubricas esse præceptivas, neque oppositum esse probabile. Quapropter sententia Suarez, Quarti, Puteobonelli, & aliorum supra, aliis sententiis est præferenda.

III. Præter Rubricas Missalis, quæ considerantur tanquam regula proxima, & immediata Sacrorum Rituum Missæ, tum Privata, tum Sollemnis, adfunt etiam S. R. C. Decreta, quæ censeri debent pariter tanquam regula proxima eorundem Rituum, quia hæc S. C. facultatem habet interpretandi, & declarandi, quæcumque dubia, quæ insurgunt circa Ritus Ecclesiasticos, ut colligi potest ex Constitutione 74. Sixti V. quæ incipit: *Immensa bonitas*, &c. & reverrà ad prædictam Congregationem confluent omnes Ecclesiæ, & Ordines Regularium, ex toto Orbe, pro negotiis Rituum, & ejus resolutiones, atque Decreta habentur tanquam Pontificis oracula. Oritur autem quæstio, utrum prædicta Decreta S. R. C. debeant reputari tanquam regule præceptivæ, vel solum tanquam regule directivæ; sed antequàm hoc dubium resolvatur, prænotare debemus, quòd non omnes memorata Sac. Congregationis declarationes sunt, aut dici debent Decreta rigorosè sumpta, etiamsi de illis authenticè constet. Hæc igitur resolutiones dumtaxat Decreta rigorosa censenda sunt, quæ à dicta Congregatione emanant in forma rigorosa Decreti, vel saltem in fine habent aliquam Decreti clausulam. Ita Decretum rigorosum, & præceptivum certè censeri debet illud editum die 11. Januarii 1681. in quo sequentia ad Rubricas Breviarii leguntur -- *Sacra Rituum Congregatio ad Relationem Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalis Columnæ, instantibus Cæremoniæ Magistris Basilicæ Principis Apostolorum, declaravit, & decrevit, occurrente Feste Purificationis B. M. V. in Dominicis Septuagesimæ, vel similibus aliis privilegiatis, ita ut illius Officium, ex hoc contingat transferri, non esse ob id protrahendam etiam recitationem Antiph. Alma Redemptoris, &c. sed die secunda Februarii post Completorium, illa dimissa, juxta dispositionem Rubricæ, & ejusdem laudabilem observantiam in Basilica Vaticana, sumendam esse Antiph. Ave Regina Cælorum, &c.*

sublatoque quolibet alio asserto difformi quæcumque Ecclesiarum usu, sive consuetudine, ita ab omnibus, qui Breviario Romano utuntur, pariformiter servari mandavit. Hæc die 11. Januarii 1681.

Pro Eminentissimo Domino Cardinali  
Fachenetto Præsente.

N. Cardinalis Ludoviscus.

Loco ✕ sigilli.

Bernardinus Casalius S. R. C. Sec.

Rursus ejusdem generis est aliud Decretum editum die 24. Januarii 1682. de non transferendis Officiis Sanctorum ad libitum, in quo sequentia verba leguntur -- *Cum alicuius Sanctorum Rituum Congregatio decreverit, Officia Sanctorum ad libitum non esse transferenda, quando dies eorum festivitatum sunt impediti de Dominico, aut aliquo alio die Festorum nobilium; quæstionem fuit declarari, quæ regula servanda sit, quando occurrunt eodem die cum Officiis Sanctorum Calendarii proprii, vel translatis, vel demum semel per hebdomadam, vel per mensem recitari concessis. Et Sacra eadem Congregatio respondit, prædicta Officia Sanctorum ad libitum, etiam duplicia, occurrentia in diebus Dominicis, Octavis, & Nataliis Sanctorum alicujus Religionis, et diuina, et in Calendarii proprii à Sede Apostolica approbati, quamvis sub Ritu semiduplici de præcepto celebrandi, non esse transferenda, sed omitti debere. Si autem occurrant eodem die, in quibus aliis aliquod Festum translatum poni debet, tunc liberum fore declaravit eisdem Officiis ad libitum recitari, & Officium translatum alterius ad aliam diem non impediri transferri. Prout etiam omisso Officio, quod semel per hebdomadam, aut per mensem ex Apostolico indulto recitari concessum est, Officium ad libitum eodem die occurrens recitari posse dicitur. Et*

ut ab omnibus, qui ad has Canonicas tenentur, servari mandavit. Die 24. Januarii 1682.

Cofar Cardinalis Fach. nettus.

Loco ✠ sigilli.

Bernardinus Casalini S. R. C. Secr.

Præfate duæ Sac. Congregationis resolutiones, & aliæ iis similes habent conditiones perfectæ requisitæ ad rigorosum Decretum; hujusmodi autem resolutiones, & declarationes verè obligant in utroque foro, si aliis authenticè de ipsis constet, aliasque habeant conditiones requisitæ à Theologis, & Canonistis, ad vim obligandi inducendam.

Si verò declarationes S. R. C. sunt solum resolutiones, seu resolutiones dubiorum eidem propositorum ab aliquo Ecclesiastico, vel ab aliquibus Ceremoniarum Magistris, sive ab aliquo Regularium Ordine, vel ab aliquibus Episcopis, ut frequenter contingit, & tales resolutiones ab ipsa Congregatione emanent, nulla adjecta clausula rigorosi Decreti, aliquid prohibentis, vel præcipientis, tunc juxta nonnullorum opinionem prædictæ declarationes censentur regulæ tantum directivæ, non verò præceptivæ Sac. Rituum observandorum; reputantur siquidem tanquam sapientissimorum virorum responsa, quæ oppositæ sententiæ probabilitatem non volunt.

Verùm quando adsunt hujusmodi resolutiones, & habentur Auctores contrarium firmantes, in tali conflictu debent præferri Sacre Congregationis decisiones aliis quibuscumque Doctoribus contrarium asserentibus, ut pluribus relatis tradit Ursula hujus alme Urbis celebris Advocatus, *Discept. Eccl. tom. 1. part. 1. discept. 1. sub num. 7.*

Hujus secundi generis Decretorum, seu Declarationum exempla plurima habemus in *Gavant. Rubr. Adiff.*

nostro Indice Decretorum, in quibus non continetur clausula rigorosa Decreti habentis vim legis præceptivæ, sed solum continentur simplices S. C. resolutiones, seu declarationes ad dubia sibi proposita, quæ nihilominus, ut dixi, debent debito respectu ab omnibus servari, si de eis authenticè constet, & præferri cuicumque contrariæ opinioni, ab aliis DD. assertæ. Vel de hujusmodi S. C. Decretis, seu declarationibus sentiendum est cum Turrino *part. 1. sect. 1. cap. 2. § Quares secundo*, inducere eandem obligationem, quam induxit Rubrica, vel materia, cujus est Decretum, vel interpretatio, & ratio est, ut dicit ipse, tum quia sunt accessoria illi Rubricæ, & habent eandem naturam; tum quia, qui declarat, nihil novi inducere dicitur, *l. heredes palam. ff. si quis post testam.* Ergo habent eandem vim obligandi (infert Turrinus) nisi nova obligatio addatur. Idem Turrinus §. *Quares primo*, quæstionem movet, utrum interpretationes, & declarationes Sac. Congregationis sequi debeant Viri Ecclesiastici, non tantum in eo peculiari casu, pro quo feruntur, verum etiam in aliis similibus? & resolvit affirmativè, quia prædictæ resolutiones maximam habent auctoritatem, & in omnibus similibus casibus vim habent interpretationis generalis, ibique præbet exemplum, v. g. S. C. declaravit, signum, quod sit eum Patena post Orationem Dominicam, debere esse signum Crucis, ut habetur in Decreto dato in nostro Indice sub *num. 205.* Ex hac declaratione, ait Turrinus, inferri potest, quòd quotiescunque Rubrica dixerit, *signat*, vel *signat se*, semper de signo Crucis, talem Rubricam intelligendam esse, quod est in multis locis, v. g. post oblationem Calicis, quando Sacerdos dicit: *Veni Sanctificator, &c.* ait Rubrica: *signat manu dextera*; idem legitur initio Canonis, & Consecratione Calicis, ubi Rubrica dicit: *dextera signat super eum, &c.*

Ceterum quando hujusmodi declarationes referuntur ab aliquo Auctore, non censentur sufficienter propositæ, neque habentur pro canonicè publicatis, sed tunc semiplenam tantum habent fidem, nec major eis adhibenda fides est, quam illis Doctoribus, qui eas referunt, ut de iis, quæ à Gratiano referuntur in suo Decreto, docet Bonacina *de legibus disput. 1. quest. 1. punct. 3. in fine*. Igitur ut præfata declarationes, & resolutiones S. R. C. obligandi vim habeant, & plenam fidem mereantur, & contrariæ opinionis probabilitatem destruant, debent esse sufficienter propositæ, & publicatæ, quia sicuti lex nullam vim habet, nisi publicetur, ut est communis omnium DD. sententia, ita etiam legis interpretatio, cum sit ejusdem naturæ cum lege, nullam habet vim obligandi, tanquam legis decisiva declaratio, nisi sit sufficienter proposita, & publicata.

IV. Gavant. pag. 167. col. 2. num. 4. *Rubricas aliquas esse strictioris juris in Missis Conventualibus, &c.* Docet Gavantus Rubricas præscribentes Missas Conventuales in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, esse strictioris juris, adeoque præceptivas, & quidem sub gravi, & num. 7. pag. 168. confirmat hanc sententiam, quia addit in Feriis Quadragesimæ, quatuor Temporum, &c. etiam si Duplex, vel Semiduplex Festum, &c. duas esse cantandas Missas in Collegiatis, & Cathedralibus, unam de Festo post Tertiam, alteram de Feria post Nonam; quando igitur omittitur Missa Conventualis in prædictis Ecclesiis, & rursus quando omittitur Missa Vigiliæ, vel Feriæ in illis diebus, in quibus cantanda præscribitur post Missam Conventualem alicujus Festi occurrentis, omnes illi peccant, qui sunt in causa, ut non celebrentur tales Missæ, quia quando omissio est peccaminosa, qui est causa omissionis, est causa peccati, ut pluribus relatis tenet, & probat Pasqualigus *de Sacrif. nove legis tom. 2. quest. 894. sub num. 3. & 4. ac*

*quest. 898. sub num. 1. & seqq.* Solum Missa Sollemnis & die omitti potest in casu, de quo Ceremoniale Episc. loquitur *lib. 2. cap. 33. num. 31.* ubi habetur, quod si Episcopus voluerit ex sua particulari devotione in Festo SS. Corporis Christi celebrare, & SS. Sacramentum pro Processione faciendæ conficere, poterit summo mane Missam plenam sine cantu legere, omittit pro hac die Missa Sollemni, &c. propter Processionem, ad celeriorems actus expeditionem, & ad evitandum calorem.

Quoniam verò cum Gavanto sermonem habemus hic de Missis Conventualibus, congruum, & valde perutile nobis videtur, exhibere hoc loco omnia Decreta à S. R. C. edita, quæ pertinent ad præfatas Missas Conventuales.

1. Si Processio Litaniarum majorum terminetur ad Ecclesiam S. Marci, cantetur ibi Missa de S. Marco, non verò de Rogationibus. S. R. C. 23. Maji 1603. in *Hispania*. & in nostro Indice datur sub num. 18.

2. Si Ecclesiæ Dedicatio occurrat in Festo Nativitatis B. M. V. fiat de ea (nempe de Dedicacione) Missæ duæ cantentur, & infra Octavam fiat de digniori. S. R. C. 16. Octobris 1604.

Hoc Decretum refertur à Gavanto in Thesaurò Sacrorum Rituum *tom. 2. sect. 3. cap. 5. sub num. 4.* & refertur pariter à nobis in Indice Decretorum spectantium ad Rev. viarii Rubricas, in calce ejusdem *tom. 2. collecto*. Refert etiam Fajoli hoc Decretum in suo Calendario perpetuo rationali, in Annotationibus ad Mensem Septembris *lib. 2. sub num. 1. pag. 247.*

In prædicto casu Decreti allegati patet ratio, ob quam Festum Dedicacionis præferri debet Festo Nativitatis B. M. V. nam Festum, quæ sunt classis superioris, sicut est Dedicatio Ecclesiæ, quæ est primæ classis, præferri debent temper aliis, quæ sunt inferioris, sicut est Nativitatis B. M. V. quæ celebratur sub Ritu secundæ classis; in pari autem clas-

le pro Festi prælatione attenditur dignitas personæ, cujus Festum celebratur, de qua re fultius discurramus in Observ. & Addit. postis ad Rubricas Breviarii Romani. Quòd autem in prædicto eventu occurrat Dedicatio Ecclesiæ cum Festo Nativitatis B. M. V. cantari debeant duæ Missæ, hoc statutum consonat Rubricæ generali VI. de Translat. Festi. in qua habetur, quòd in Ecclesiis, ubi titulus est Ecclesiæ, vel concursus Populi ad celebrandum Festum, quod transferri debet, possunt cantari duæ Missæ, una de die, alia de Festo, &c.

3. Missæ Conventuales infra Octavam Corporis Christi, possunt cantari sine Diacono, & Subdiacono, excepto die Festo, ac Dominica, ac die Octava. S. R. C. 15. Martii 1608. In *Alexandrina*, & datur in nostro Indice sub n. 80.

4. Missa Conventualis de Festo, seu de Feria occurrenti, omnino cantanda est, non obstante quacunque contraria consuetudine. S. R. C. 28. Januarii 1612. In *Oscen.* & in nostro Indice sub n. 120.

5. Missa Conventualis pertinet ad Cantorem, & Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ, non autem ad Vicarium, qui debet tantum curam Animarum Parochianorum habere. S. R. C. 7. Julii 1612. In *Ulyssiponen.* & in nostro Indice sub n. 127.

6. Missa Votivæ non possunt suffragari pro Missa Conventuali, quæ non potest omitti, etiam si cantetur Missa Votiva. S. R. C. 2. Maji 1626. In *Burgen.* & in nostro Indice sub n. 198.

7. Non potest omitti altera ex duabus Missis cantandis de Festo, & de Feria; S. R. C. 16. Maji 1626. & 28. Augusti 1628. In *Burgen. & Tarantina,* & in nostro Indice sub n. 199.

8. Missa Conventualis de Feria in Cathedralibus, & Collegiatis, omnino est dicenda ultra Missam Festi, & abusus sunt reformandi. S. R. C. 16. Januarii 1627. In *Januen.* & datur in nostro Indice sub n. 203.

9. Ob Missam Votivam, seu pro Defunctis, non est omittenda Missa Conventualis, neque potest introduci consuetudo in contrarium. S. R. C. 26. Januarii 1627. & datur in nostro Indice sub n. 204.

Hoc Decretum refertur etiam à Gavanto *part. 1. tit. 4. sub num. 3. lit. p.* & iterum in *Manuali Episcoporum v. Missa Conventualis sub n. 5.* Item à Pasqualigo de *Sacris. novæ legis tom. 2. quest. 892. sub n. 1.* & Clericato de *Sacris. Missæ sub n. 16.*

Advertendum tamen est, quòd hoc Decretum intelligendum est, salva semper Rubrica de Votivis assignatis singulis diebus in fine Missalis, de quibus nos quoque sermonem habuimus præfata *part. 1. tit. 4.* in nostris *Observat. & Additionibus ibidem.*

10. Potest Episcopus cogere Canonicos, ut à Cappellanis in Quadragesima, cantare faciant Missam cum Diacono, & Subdiacono. S. R. C. 17. Julii 1627. In *Nicen.* & datur in nostro Indice sub n. 212.

11. Consuetudo contraria induci non potest, non cantandi Missam Conventualem de die. S. R. C. 16. Januarii 1628. & in nostro Indice datur sub n. 204.

12. Missa Conventualis non potest celebrari pro Anniversario, sed cantanda sunt duæ Missæ. In die verò Depositionis dicenda est Missa pro Defunctis, non obstante contraria consuetudine. S. R. C. 12. Julii 1628. In *Januen.* & datur in nostro Indice sub n. 233.

13. Missæ duæ non debent cantari eadem die ejusdem Sancti in Ecclesia, in qua celebratur Festivitas dicti Sancti. S. R. C. 3. Augusti 1652. In *Mediolanen.* & datur in nostro Indice sub n. 307.

Crederem tamen, quòd in aliquo casu possit cantari duplex Missa ejusdem Sancti, seu Sollemnitatis, præsertim quando celebrantur exequiæ alicujus Defuncti, cujus cadaver est præsens in Ecclesia eo die, quo non potest cantari Missa Defunctorum, etiam si cadaver sit præsens, in tali, inquam,

casu crederem, posse celebrari, seu cantari duplicem Missam sollemnem ejus Festivitatis, primam solitam Conventualem, quæ applicatur pro Benefactoribus, secundam verò pro Defuncto, de quo sunt exequiæ præsentis ejus cadavere.

14. Qui habent privilegium celebrandi Octavas in Quadragesima, in diebus infra Octavam occurrentibus, debent dicere Missam Conventualem de Feria currenti, cum commemoratione Octavæ, quamvis recitaverint Officium de die infra Octavam. Ita S. R. C. 24. Januarii 1682. ad tertium dubium, & datur in nostro Indice sub n. 460.

Hoc Decretum est omnino conforme iis, quæ præscribit generalis Rubrica III. Missalis de Feria, & Vigil. an. 2. ubi nonnulla etiam nos addidimus, & observavimus, spectantia ad hoc Decretum, unde ne eadem hic repetantur, iterum legi possunt, quæ ibi tradita sunt de Missis dicendis, & cantandis, in Vigiliis infra aliquam Octavam occurrentibus.

Adverte tamen, quòd in die Octava Missa principali non est de Feria; nam Rubrica Missalis loquitur de diebus infra Octavam, non verò de die Octavæ, in qua in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, & Regularibus, ubi adest consuetudo, cantari debent duæ Missæ Conventuales, prima de Octava post Tertiam, & secunda de Feria illa Quadragesimali post Nonam, in qua secunda Missa nulla fit commemoratio Octavæ, sicuti in prima non fit commemoratio Feriæ, & in hac secunda Missa Præfatio debet esse de Quadragesima, etiam si Octava haberet propriam, juxta ea, quæ diximus in nostris Observationibus, & Additionibus ad Tit. XI, primæ Partis, & sic etiam docet Guyetus in *Heortologia* libr. 4. cap. 3. quest. 1. At in illa Missa Conventuali Feriæ, quæ deberet dici in diebus infra Octavam, cum in hac debeat fieri commemoratio Octavæ (quia nulla debet cantari Missa Conventua-

lis de Octava) si talis Octava præfationem haberet propriam, hæc deberet dici, non verò Præfatio de tempore, inhærendo illi, quæ à nobis tradita sunt dicto Tit. XI, primæ Partis; nimirum ob eandem rationem, ob quam die 14. Decembris, si in ea occurrat Feria Temporum, debet cantari unica Missa Conventualis de tali Feria, sed cum commemoratione Octavæ Conceptionis, ejusdemque Præfatione. Jo. Baptista Pittorus contrariam tenet sententiam in *suæ collectionis Decisionum ad Sacros Ritus spectantium* pag. 302. & citat pro se Guyetum, sed Auctor ille non loquitur, nisi de Missa illa Conventuali Feriæ, in qua nulla fit commemoratio Octavæ, & quæ dicitur post aliam Conventualem prædictæ Octavæ, non verò de illa Missa Conventuali Feriæ, quæ sola cantatur, & in qua fit commemoratio Octavæ, cum dicatur non in die Octavæ, sed in una ex diebus infra Octavam, de qua Missa nunc loquimur, adeoque bene ponderari debet delictum, quod intervenit inter hanc Missam, & aliam secundam Conventualem Feriæ, quæ cantatur in die alicujus Octavæ.

15. Sacerdos, qui celebrat Missam Conventualem, in qua Chorus tenetur cantare symbolum, non potest illam prosequi, eo tempore, quo à choro cantatur symbolum prædictum. S. R. C. 17. Decembris 1695, & datum in nostro Indice sub n. 510.

16. In Ecclesia Cathedrali, quæ habet privilegium recitandi Officium S. Crucis qualibet Feria VI. non impedita, non potest cantari unica Missa Feriæ cum commemoratione Sanctæ Crucis, quando in dicta Feria VI. occurrit Feria, quæ habet Missam propriam. S. R. C. 5. Julii 1698. In *Collectis ad vigesimum primum dubium*, & in nostro Indice sub n. 533.

17. In Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, in quibus fit de duplici primæ classis, non sunt cantandæ duæ Missæ. S. R. C.



5. Julii 1698. In *Collen. ad 14. dubium*, & datur in nostro Indice sub n. 528.

Hæc resolutio non supponit recitationem Officii duplicis primæ classis in Dominica prima utriusque temporis, neque in Dominica Passionis, neque in Dominica Palmatum, quæ cum sint pariter primæ classis, excludunt aliud duplex primæ classis. Est igitur intelligenda resolutio præfata de aliis Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, in quibus potest fieri Officium duplex primæ classis, in quo casu esset cantanda unica Missa Conventualis de Festo, non verò alia de Dominica, quia Dominica non reputatur Feria, cum in ea recitetur Officium novem Lectionum. Si enim reputaretur Feria, tunc essent cantandæ duæ Missæ in Cathedralibus, & Collegiatis, ut sit in omnibus Feriis Quadragesimæ, quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, nempe prima de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam, ut tradit etiam Gavantus *tit. 7. primæ Partis* num. 2. & in comprobationem sui asserti, quod Dominica non venit nomine Feriæ, adducit Decretum S. R. C. datum in Indice *Tom. II. hujus thesauri*, in quo agitur de Rubricis Breviarii.

Rursum in sequelam hujus resolutionis optime advertunt Monachi Cassinenses in suo Calendario Anni 1734. die 21. Martii, in qua occurrit Dominica secunda Quadragesimæ cum Festo S. Benedicti Monachorum Occidentium Patriarchæ, quod ipsi celebrant sub Ritu duplici primæ classis cum Octava, ex privilegio Clementis Papæ X. optime, inquam, advertunt, quod in prædicta Dominica non debet ab ipsis cantari, nisi unica Missa de Festo, non verò etiam alia de dicta Dominica. Quare autem omitti debeat Missa Conventualis de Dominica in tali casu, & non esset omitienda Missa de Feria, quando Dominica est nobilior; optime assignat rationem Gavantus in suo Commentario ad supradictam Rubricam ge-

neralem *Tit. VII. primæ Partis*, & ex eo Bifus *lit. F. n. 18. §. 8.*

18. Si in Feria III. Rogationum occurrat Festum simplex in Cathedralibus, & Collegiatis, non sunt cantandæ duæ Missæ. S. R. C. 5. Julii 1698. & datur in nostro Indice sub n. 521.

19. In Missa Conventuali dierum sollempnium, quæ absque cantu, & ministris celebratur, non est facienda thurificatio. S. R. C. 22. Januarii 1701. & datur in nostro Indice sub n. 556.

20. Missa, quæ à quibusdam Regularibus post horas Canonicas dicitur sine cantu, potest dici Conventualis. S. R. C. 14. Februarii 1705. & in nostro Indice datur sub n. 592.

21. In Missa Conventuali, quæ non cantatur sollempniter in Festis secundæ classis, debet fieri commemoratio de Festo simplici, quando de eo in Officio facta est commemoratio ad Laudes; aliter tamen dicendum est, si talis Missa reputetur tanquam Sollemnis. S. R. C. 14. Febr. 1705. & datur in nostro Indice sub n. 592.

Apud Scarfontonum ad Ceccoperium *part. 2. lib. 3. in Animadvers. ad tit. 4. sub n. 14. pag. 34.* juxta impressionem Lucanam de Anno 1723. legitur sequens Decretum, quod tamen in Regestis S. Congregationis reperiri non potuit, saltem sub iis terminis; verum ex his, quæ affert Scarfontonus ibidem, videtur de hoc Decreto non esse dubitandum.

22. Missa Conventualis cantanda est post Tertiam, non autem absolutis omnibus Horis Canonicis, non obstante contraria consuetudine. Ita resolvit S. R. C. 18. Junii 1589. *In Chatacen.*

Cum talis resolutio sit consona sacris Rubricis, & consuetudini omnium Ecclesiarum, est profecto servanda, etiam si de ipsa authenticè non constet, utrum verè à S. R. C. edita fuerit.

Verissimum est, quod Missa Conventualis, & sollempnis, in Festis duplicibus, & semiduplicibus, in Dominicis, & infra Octavas, dicta à Choro hora Tertia, celebratur. In Festis vero simplicibus, & Feriis per Annum, dicta Hora Sexta; sed in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temp. etiam infra Octavam Pentecostes, & Vigiliis, quae jejunantur, quamvis sit dies sollempnis, Missa de tempore debet cantari post Nonam.

In Missis Feriarum Quadragesima, Quatuor Temp. Rogat. & Vigil. etiam si dupl. & semidupl. Festum, vel Octava occurrat in Eccles. Cathed. & Colleg. cantantur duae Missae, una de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam; sed in Feriis Rogat. & in Vigil. in quibus habentur Missae propriae, cantantur duae Missae, una de Festo, alia de Feria Rogat. & Vigil. absque ulla utrorum commemoratione; in Missa enim de Festo omittitur commemoratio illius Feriae, seu Vigiliae, & e contra in Missa Conventuali Vigiliae nulla fit Festi currentis commemoratio. In Festis tamen majoribus primae classis nihil fit de Vigilia occurrente, ut videre est in Rubr. general. 3. de Feria, & Vigilia, apud Gavantum.

In Manuali Episcoporum Gavanti, in Additionibus v. *Missae Conventualis*, subnectuntur etiam sequentia Decreta.

23. Planetis plicatis in Missa uti possunt Regulares in Ecclesiis propriis insignioribus. S. C. apud Alcozer in suo Ceremoniali.

24. Si ob Terrae frigiditatem Populus veniat tardè pro sollempni Missa, tardius etiam recitetur Hora Tertia, potius quam decantetur post Tertiam. *Eadem apud eundem, ibidem.*

25. Celebrans, & Ministri sedere possunt, dum cantatur Epistola, & Graduale. *Eadem apud eundem, ibidem.*

Verùm, cum de his tribus Decretis non constet, utrum verè sint edita à S. R. C. id-

circo non merentur nisi eam fidem, quae adhiberi potest Auctoribus, qui ea referunt.

26. Constat quidem ex Decreto authentico, emanato 31. Julii 1665. quod tam Celebrans, quam Assistentes, in Vesperis de Missa sedere debent in scamno, & non in sede coriacea. Quod Decretum exhibetur in nostro Indice sub n. 428.

Alia ex dicto Manuali Episcoporum ibidem referuntur Decreta sub Titulo Missae Conventualis, quae tamen spectant ad Ritum cujuscuque Missae Sollempnis, praesertim vero ad thurificationem, quae Decreta nos jam collegimus, & dedimus suo loco, in quo de talibus Ritibus sermonem habuimus, & ideo hic ea praetermittimus.

Alia Decreta pertinentia ad Missam Conventualem lubet hic tradere, quae ab illis Congregationibus, nempe Episcoporum, vel Concilii Tridentini edita fuerunt, quia servare possunt ad varia dubia resolvenda circa praedictas Missas Conventuales.

27. Missa Conventualis in Festis dicendis est tempore aestivo hora decima quarta, tempore verò hyemali hora decima septima, haec resolvit S. Cong. Episcop. die 27. Julii 1602. in *Castellaneta* 75. §. 11.

28. In Feriis autem potest dici paulo citius, modò non valde diluculo; eadem Sac. Cong. 20. Februarii 1701. *Aliff.* 86. §. 2. & *Castellaneta* 17. Septembris Anno 1702.

29. Conventualis Missa cantari debet quotidie in Collegiatis, quarum Clerus est numerosus, & redditus non tenues. Ita Cong. Episcoporum die 14. Januarii 1603.

Haec tria Decreta leguntur apud Nicolium v. Missa sub n. 6. & eadem refert pariter Clericat. de Sarif. Missae initio operis Venetiis editi Anno 1727.

30. Canonici Cathedralium, & Collegiatarum, accipiunt fructus suorum Canoniciatum sub onere inserviendi Ecclesiae in celebratione Divinorum Officiorum; quae celebra-

bratio non importat solum horas canonicas, sed etiam Missam Conventualem, tanquam præcipuam partem, & proinde ad applicationem ejusdem Missæ Conventualis tenentur pro illis, ex quorum dispositionibus distributiones, & emolumenta percipiunt. Ita resolvit S. Cong. Concilii sub die 17. Martii 1714. In *Squillacen.* & etiam sub die 9. Junii ejusdem Anni 1714.

Hæc Decreta reperiuntur apud Urfayam *Discept. Eccl. tom. 2. part. 1. discept. 32.*

Verum Pignatellus *Consul. 91. tom. 4.* proposito sibi dubio, utrum in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, in quibus paucus est numerus Canonicorum, & Presbyterorum, tolerari possit consuetudo cantandi Missam Conventualem Festis diebus dumtaxat? Resolvit, seu melius censet, esse tolerandam talem consuetudinem, ea ratione motus, quia ad inducendam obligationem Missæ Conventualis, non sufficit, quod Ecclesia sit Cathedralis, vel Collegiata, sed insuper requiritur, quod habeat sufficientem numerum ministrorum. Consentit etiam hinc opinio Scarfantonus ad *Ceccoperium part. 2. lib. 3. tit. 4. in nimadvers. num. 5.* & uterque convenit etiam pro eadem Missa Conventuali canenda, quod requirantur saltem undecim Presbiteri, nimirum Celebrans, Diaconus, & Subdiaconus, duo Ceroferarii, Thuriferarius, & Acolythus, & pro Choro saltem quatuor, quia Missa debet esse cum cantu. Advenit tamen Pignatellus, quod unus, & etiam Clericus posset obire munus Thuriferarii, & Acolythi. Et ego etiam adderem, quod in defectu antedicti numeri posset cani Missa, sed sine Ministris sacris, & sine Ceroferariis, prout talis consuetudo introducta est in multis Ecclesiis, etiam Cathedralibus, canendi eo modo in diebus ferialibus Missam semisolemennem, seu mediam, ut vocant, inter solemennem, & planam, de cujus Ritibus, nos fuscè locuti sumus in *Observ. & Addit. ad Titulos secundæ Partis.*

Rursus prædicti Auctores adstruunt, quod etiam ratione exiguitatis reddituum permitti potest, quod Missa Conventualis cantetur tantummodo diebus Festis, ut recedendo à decisis die 22. Maji 1706. resolvit S. R. C. in *Camerinen.* ut videbimus etiam infra *tit. seq.*

V. Gavant. pag. 167. col. 2. eodem n. 4. *Nam Collegiata Regulares, &c.* Cum in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis certum sit, debere quotidie cantari Missam Conventualem, ut colligitur ex *cap. cum creatura, d. Celebra. Missarum,* & ex aliis superius à nobis dictis, nunc in dubium vertitur, utrum etiam Regularium Ecclesiæ censeri debeant Ecclesiæ Collegiatae, in quibus, occurrente Vigilia cum Festo duplici, vel semiduplici, celebrari, & cantari debeant duæ Missæ.

Gavantus hoc loco tenet, quod Ecclesiæ Regularium minus propriè Collegiatae dicantur; ita etiam opinantur nonnulli, quos supprello nomine allegat Solarius in *Cerem. PP. Minorum part. 1. Proemiali num. 10.* cum quibus ipse quoque sentit, Ecclesias Regularium non esse Collegiatas; ex quo sequitur, non teneri ad multa, ad quæ ex Rubricis, & Decretis S. C. tenentur Collegiatae Canonici, qui habent stipendia pro Divinis Officiis celebrandis.

E contra verò Scarfantonus ad *Ceccoperium lib. 1. tit. 5. in Animad. num. 11.* adaverat, omnem Ecclesiam Regularem de jure dici posse Collegiatam. Hinc sustinent nonnulli, nimirum Donatus in *sua Praxi resolut. rerum Regularium tom. 3. tract. 7. quest. 102.* Nec non Rotarius in *sua Theologia Regularium tom. 3. libr. 1. cap. 2. num. 4.* & alii apud eosdem, sustinent, inquam, Praelatos Regulares singulis diebus in suis Ecclesiis curare debere, ut Missa Conventualis celebretur, dummodo adsit sufficiens numerus Religiosorum. Sed cum tres saltem requirantur ad faciendum Collegium, ubi sit minor Sacer-

Sacerdotum numerus, etiam juxta eosdem non urget hoc præceptum.

Oppositam verò omnino sententiam tuetur Diana 3. part. 2. tract. de dubiis Regul. resolut. 8. ea ratione ductus, quia ut plurimum constitutiones Regularium non obligant sub mortali, neque ergo hæc consuetudo cantandi Missam Conventualem, quæ accessoria est constitutionibus aliquorum Regularium; minus etiam de hac obligatione, cantandi, seu celebrandi Missam Conventualem, sentiunt alii cit. à Rotario *suprà*, ultra quos addi potest Castaldus, qui lib. 2. sect. 2. cap. 3. num. 20. asserit, quòd utique Ecclesiæ Regularium censendæ sunt Collegiatæ, quia satis se explicat Rubrica, appellando Collegiatas illas Ecclesiæ, in quibus plures Sacerdotes quotidie celebrant. Verùm, ait ipse, quæ dicuntur à Rubrica de hora, & cantu Missæ Conventualis, relatè ad Ecclesiæ Regulares, standum esse consuetudini, ac possibilitati locorum, & ideo occurrente Vigilia cum Festo, ubi quotidie non cantatur Missa, ait ipse, neque dux cantari debent; & ubi diebus Festis Missa de Sancto cantari consuevit, non necessariò altera de Vigilia cantabitur, sed si dicatur privatè, satisficit Rubricæ.

Ubi tamen utraque cantari commodè poterit, prout in Cathedralibus, ac majoribus Ecclesiis consuevit, laudabiliter in suo rigore servabitur Rubrica, & quoad horam, & quoad locum; de Sancto quidem post Tertiam, de Vigilia verò post Nonam, & quidem in Altari majori, ubi regulariter celebrari debent Missæ Conventuales. Quòd si opportunitas temporis, ac loci commoditas aliquando aliud fortè requirat, non improbat (quod etiam in Urbe observarunt Sacrorum Rituum Periti) si in aliquo Sacello privatè Missa de Vigilia, seu Feria celebratur, nullo tamen modo omittatur. Hæc ex Castaldo *sup.*

Quoad applicationem verò prædictæ Missæ Conventualis relatè ad Regulares, optimè advertit Rotarius *suprà*, quòd licet Panacina, & Fraxinellus cit. à Pellizzario tract. 5. cap. 11. num. 45. sustineant, Missam Conventualem celebrari debere, & applicari pro Benefactoribus; nihilominus ubi non est talis consuetudo, neque aliunde contracta sit hæc onerosa obligatio, secundum se Regulares Missam Conventualem liberè applicare posse, & ita tenet ibidem Pellizzarius ex Diana part. 5. tract. 13. n. fol. 51. Peyrino, Corduba, Trimarctia, Nigro, Leone ab eodem cit. Et reverè, ait Rotarius, rigorosa obligatio quotidiana, & perpetua, non sine gravi fundamento admitti debet; atqui neque ex ulla lege divina, aut humana expressè hæc obligatio habetur, neque ex alia implicita conventionem cum Benefactoribus, qui si Manuset eleemosynas panis, vini, &c. faciunt Religiosis, censentur eas liberè facere; & quando pinguem aliquam, & extraordinariam eleemosynam elargiuntur, explicare solent onus, quòd intendunt imponere; ubi ergo nullum fuerit onus expressum, censentur liberè elargiri eleemosynas pro solo merito acquirendo, & pro participatione communium precum, quæ à Religiosis pro Benefactoribus fiunt, nec ulterius exigunt satisfieri per applicationem Missarum.

Alia doctrina, & alia Decreta, spectantia ad obligationem applicandi dictam Missam Conventualem, relatè ad Canonicos Seculares, traduntur in nostris Observ. & Additionibus in Titulo sequenti.

VI. Gavant. pag. 167. col. 2. eodem n. 4. Sic etiam ad Officium Divinum extra Chorum, &c. Adstruit noster Auctor *sup.* Regulares obligari tantum ex consuetudine ad recitandum Officium Divinum extra chorum; sed advertendum est, quòd si loquatur Ga-

vinus de Regularibus Sacris Ordinibus non initiatis, sed professione ad chorum deputatis, dubium est, quo jure obligentur extra chorum ad recitandum Divinum Officium, laborant enim in hoc DD. quia difficile est iudicem hujus obligationis invenire; quia, ut per se patet, non tenentur ratione ipsius Religionis in genere, ut bene probat Bonartius de *Horis Canonicis* libr. 2. cap. 3. neque ratione professionis, aut votorum, quia in votis substantialibus hoc debitum persolvendi horas canonicas non exprimitur. Rursus non tenentur prædicti Religiosi ad horarias preces aliquo jure Pontificio, quia nullus pro hac obligatione Canon proferat; quapropter dicendum est cum communi sententia Doctorum, eos teneri consuetudine vim Legis habente ad recitandas horas canonicas extra chorum; ita exprèsse Sotus lib. 10. de *justitia* quest. 5. art. 3. Licet autem de ea consuetudine dubitet Cajetanus, & Fumus, qui ei adhærent v. *hora* n. 4. Videtur tamen postea Cajetanus eam agnoscere, dum ait, de professione Clericis standum esse consuetudini. Hanc sententiam tenet etiam Bonartius *supra* n. 4. Certius tamen est, & commune apud omnes DD. Clericos omnes, sive Regulares, sive etiam Seculares sacris Ordinibus initiatos, Presbyteros nempe, Diaconos, & Hypodiatonos, strictè teneri hac Legge recitandi Divinum Officium, & solum superest dubium, an obligentur Legge humana scripta, an solum consuetudine vim Legis habente? Bonartius *cit.* libr. 2. cap. 2. sustinet, Diaconum, & Hypodiatonum nullo jure scripto, sed solum consuetudine vim præcepti habente teneri ad recitandum horas canonicas, & idem censet etiam, aliquibus contradicentibus, de Presbytero nullum habente beneficium, videlicet etiam illum obligari ad pensum horarum canonicarum persolvendum consuetudine moribus recepta, & vim Legis habente, nullo autem jure scripto,

Gavant. Rubr. Miss.

quia nusquam extat. Licet in quibusdam Canonibus obligatio ipsius, undecunque proveniat, supponatur.

VII. Gavant. pag. 167. col. 2. num. 5. *Ejusmodi sunt de Matutino, & Laudibus ante Missam, &c.* Inter Rubricas prope præceptivas, Gavantus recenset illam, quæ præscribit in Sacerdote recitationem Matutini, & Laudum ante Missam. De hac eadem obligatione fusè locutus est præfatus Gavantus in suo Commentario ad *Tit. 1. secunda Partis*, ubi adhæret sententiæ rigoroſe de prædicta recitatione Matutini, & Laudum ante Missam. Verum, ut optimè ponderat Pius Cassetta, ejusdem Congregationis cum Gavano, in *suo Speculo Ecclesiast.* 1. part. dist. 3. §. 10. ne sit æquivocatio in verbis hujus quæstionis, debent fecerni certa ab incertis. Apud omnes igitur certum est, esse gravem obligationem, facere sacrum sollemne post Matutinas preces in choro decantatas; immò juxta aliquos etiam post Tertiam, quia hæc est inveterata consuetudo omnium Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum. Sed redeundo ad Missam Privatam, pro certo habetur communiter inter DD. quòd, urgente aliqua legitima causa, licitum est celebrare ante Matutinum v. g. Si in Ecclesiam ingrederetur Princeps, Prælati, &c. causa audiendi Sacrum; vel si Celebrans valde manè aggressurus esset iter, vel habiturus aliquam concionem, tunc citra ullam noxam, etiam venialem, posset Sacrum peragere ante recitationem Matutini.

Denique conveniunt DD. communiter in hoc, quòd nulla interveniente rationabili causa, est saltè culpa venialis celebrare ante Matutinum. Utrum autem Matutinum sit recitandum à Celebrante ante Sacrum sub mortali, hoc verè est in quæstione, & decisioni affirmativæ adhæret, ut dixi, Gavantus in suis prædictis Commentariis ad *Tit. 1. secunda Partis*. In hoc verò

M m m

loco

loco talem Rubricam, præscribentem recitationem Matutini ante Missam, non vocat absolute præceptivam, sed prope præceptivam; unde videtur temperare suam primam sententiam; utraq; opinio DD. quos affert Gavantus, ubi sequitur rigorosam sententiam propter eorundem auctoritatem, est verè probabilis; affirmativa tamen est nimis rigida; negativa autem mitior, & magis recepta; sed sententia media, quæ asserit, esse tantum culpam venialem, non recitato Matutino nulla urgente causa Sacrificium peragere, est probabilior, & communior, ut mox innui, & huic libenter adhareo. Hanc etiam tenet Scarfantonus ad Ceccoperium *part. 1. lib. 3. tit. 2. num. 25.* ubi affert Auctores.

VIII. In recentiori Gavanti editione, in fine numeri 11. hujus Tituli, sequens legitur Additamentum: *Si est consuetudo immemorabilis, sufficit loco Missæ conventualis Missa lecta de die celebrata in aurora, & votiva cantata post Nonam, exceptis diebus, quibus ex Rubr. 3. Missalis sunt omnino cantanda dua Missæ conventuales, de festo, & de feria, Cong. Rit. 13. Mart. 1602. 28 Jan. 1612. Urb. 4. Jul. 1615. item, quando cantatur Missa pro Defunctis; sed tandem eadem S. Congr. abrogavit omnem consuetudinem non cantandi Missam de die ultra votivam, 18. Jul. & 28. Aug. 1628.* Hæc verba non reperiuntur,

neque in prima, neque in secunda editione thesauri à Gavanto editi, quamvis in secunda editione ultra trecentas notas ipsemet addiderit. Me igitur later, à quo prædictæ verba inserta fuerint. Adverto etiam, quod primæ ex allatis ibi Decretis, nempe *si est consuetudo immemorabilis, &c.* in Regellis Sac. Congregationis profectò non reperitur. Neque pariter reperitur aliud illud Decretum, quod refertur sub data 28. Augusti 1628. nempe *S. C. abrogavit omnem consuetudinem, &c.* sed reperitur tale Decretum saltem verbis æquivalentibus sub alia data. ut constat ex Decretis datis in nostro Indice, à suprâ pariter à nobis collectis.

Supereest tamen advertere, quod Missæ Defunctorum, & Missæ Votivæ, aliquando sufficiunt pro Missa Conventuali, minime juxta id, quod præscribitur in Rubricis generalibus, *part. 1. tit. 4. de Missis Votivis* 23. ubi habetur, quod aliis diebus infra votivam, quando Officium sit de Feria, & non est resumenda Missa Dominica præcedentis, quæ fuerit impedita (exceptis Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum) dici potest aliqua ex Missis Votivis, etiam in principali Missa, quæ vocatur Conventualis, secundum ordinem eorum in fine Missalis assignatarum, & non Commemoratione Feriæ, de qua sit Officium.

## Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XII. De aliis Obligationibus Sacerdotum circa Missam.

## GAVANTUS

Juxta Editionem recentiorem in aliquibus mutatus & auctior. *ad pag. 170. col. 1.*

4. Qui tenetur celebrare in Altari privilegiato pro Defunctis, & alibi celebrat cum munusculo, v. g. Sancti Caroli, quo anima liberari potest à Purgatorio, videtur satisfacere: quod innuit Alphons. de Leon. de Off. & pot. Conf. temp. Jubilæi part. 3. n. 29. quem sequitur Fraxinell. de obl. Sacerd. sect. 4. conclus. 5. §. 9. n. 1. in 6. edit. qui tamen n. 3. non